



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

27. Quis obtinuit beneficium cum promissione dandi magnam pecuniarum quantitatem quæsit à me, an incurrerit pœnas latas à iure contra Symoniacos cum postea pretium non fuerit solutum? Et quid est ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

patiuntur, neque committi peccatum simoniæ ut est, neque iniustitiæ, ut volebat Rodriguez, modo illud plus detur liberaliter, & gratis. Ita Bocaful. Et tandem non deferam hanc apponere verba Fragosi in *Republica*, tom. 2. lib. 5. disp. 13. §. 11. num. 5. sic asserentis: Non est intrinsecè malum per se loquendo petere animum gratum in recipiente donum, vel obsequium, quando aliquid gratis donatur ante receptum donum spirituale, probatur ex D. Thom. 2. 2. *quest. 78. art. 2. ad 3. ibi*, & munus, inquit, ab obsequio, vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expetere, quo in loco agit de usura. Sicut ergo licet hoc debitum exigere quod persolvitur ex gratitudine, & ex benevolentia, ita in materia simoniæ hoc licebit peti sine aliquo vitio, cum teneatur ex naturali obligatione facere quod petitur, hoc est recognoscere naturalem obligationem gratitudinis. Non licebit tamen deducere in pactum antidoralem obligationem, novamque addere promissionem ad illam implendam. Felinus in *cap. ad audientiam. 2. de rescriptis*, num. 10. his verbis: Deducere in pactum obligatorium obligationem antidoralem est simonia, secus ubi sola obligatio naturalis deducitur in pactum eo modo quo debitor est obligatus, quia non videtur illicitum. Ita Felinus quia hoc secundum pactum non est aliud quam pactum ostendendi se gratum, quod licet, neque est pactum novum, sed memoria, seu recordatio beneficii accepti, quæ inest accipienti beneficium. Primum autem pactum cum speciali promissione adimplendi antidoralem obligationem idem reprobatur, quod novam obligationem inducat præter naturalem, & hæc pactio in spiritualibus non est licita, & cum sit pretio æstimabilis, & non inest antidorali obligationi, est illicita, & simoniaca. Ita ille. At aliqua ex supradictis mihi non placent per ea, quæ alibi diximus, & per ea, quæ novissime docet Petrus Marchant. in *Tribun. Sacrament. tom. 3. part. 1. tract. 10. tit. 6. quest. 9. concl. 1. omnino videndus cum Patre Vidali in Arca Theolog. Moral. tit. de simonia, inquisit. 1. num. 34. cum seqq. & circa superius vide alios Doctores penes me ipsum part. 2. tract. 16. resolut. 37. part. 4. tract. 4. resolut. 155. part. 6. tract. 7. resolut. 41. part. 7. tract. 4. resolut. 2. & part. 9. tract. 9. resolut. 35.*

Resolutiones istæ citantur in hoc tract. sunt Ref. 24. 8. 25. 49. & 35.

RESOL. XXVII.

Quis obtinuit beneficium cum promissione dandi magnam pecuniarum quantitatem, quæ sibi a me, an incurreret penas latas à jure contra simoniacos, cum postea pretium non fuerit solutum?

Et quid est dicendum in prædicto casu, si postea post multum temporis, solvat illam summam pecuniarum, quæ vocatur retroractio, an talis incidat in penas simoniacorum? Ex p. 10. tit. 16. & Misc. 6. Ref. 15.

Sup hoc sup. §. 1. Prima sententia affirmat docens, collationem, provisionem, seu aliam dispositionem beneficii per simoniam conventionalem factam, esse nullam, & licet etiam si promissio temporalis, seu conventio, & pacta non sint executæ. Itaque ad effectum nullitatis tituli, seu provisionis non est necessarium implementum ex parte promittentis temporale. Quæ sententia expresse probatur per text. in *d. cap. eaque*, l. 9. 3. ubi Viban. II. in Concil. Placen. sic ait: Ea quæ à sanctis patribus de simoniaco statuta sunt, nos quoque, & iudicio S. Spiritus, & Apostolica autoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in

Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia, acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus. Vide etiam *cap. cum Clerici de pactis & cap. nobis. De simonia*, & constitutionem Pij V. incipientem. Cum primum. Ex quibus omnibus apparet ad effectum privationis ipso jure beneficii, & nullitatem provisionis beneficium simoniaco fuisse acquisitum, quod satis verificatur, etiam si promissio rei temporalis, seu conventio, non sit exequuta, & completa, ut patet, quia non datur gratis, & liberè. Et simonia inducitur, & causatur ex sola promissione, Abbas in *d. cap. nobis*, num. 3. & ibi Felinus num. 2. Lambertus, de jure patronatus l. parte 2. lib. quest. 9. artic. 11. & 2. part. 2. lib. quest. 9. artic. 3. num. 8. & Flamin. Paris. d. lib. 14. quest. 7. a numero 31. Adde quia emptio & venditio videtur perfecta, si res tradatur etiam si pretium nondum sit solutum. Et ita hanc sententiam tenent plures Auctores, quos citat, & sequitur Gazias *ibidem numero 19. cap. 26. num. 28.* Sed idem Gazias *ibidem numero 19.* pro negativa sententia adducit 28. Doctores magni nominis, inter quos adfuit Navarrus, Covarruvias, Gutierrez, Lessius, Avila, Bovius, Suar, Ledesma, & alij, asserentes, quod nulla simonia conventionalis, excepta ea, quæ confidentialis dicitur, inducat ipso facto ullas penas juris positivi. Probat hæc opinio, quia etsi forte ex rigore juris videantur hæc pænæ contrahi per simoniam conventionalem, etiam neutra ex parte completam; (eo quod ad substantiam contractus emptionis, & venditionis, sufficit conventio, seu pactum; quia consensu perficitur) tamen juxta stylum Curie Romanæ non censetur incurse, nisi per simoniam realem utrimque completam. ut testatur Navarrus, non obstante Bulla Pij V. hæc de re edita, quæ non videtur fuisse recepta. Cujus ratio esse videtur, quod pænæ (præsertim graves, & quæ ipso facto incurruntur) quantum fieri possent, sunt restringendæ, ac proinde pænæ constitutæ iis, qui spiritualia emunt, aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem, & venditionem completam, nisi expresse contrarium significetur, lex enim puniens aliquem actum, censenda est punire actum completum. Confirmatur Extravag. *Cum detestabile, de simonia*, ubi hæc pænæ non statuuntur, nisi in eos, qui conventionem facta quomodolibet dando, vel accipiendo, simoniam commiserunt.

2. Quod ego sentiam dicam breviter. Opinio affirmativa videtur mihi probabilior, & illi ego adhæreo; negativam tamen existimo probabilem, & tutam in praxi, ut illam æstimat Castrus Palans *tom. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 22. num. 6.* & illam præter Doctores citatos tenet etiam Villalobos, in *Summa tom. 1. tract. 57. diff. 37. num. 3.* vide etiam Machad. *tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 3. diff. 5. num. 8.* Petrum Navarra, de *Ref. lib. 2. cap. 2. num. 428.* Sed his positis, difficultas est an consequens beneficium, sub promissione pecuniæ, & illam post multum temporis solvens incidat taliter in penas simoniacorum, ut ipsæ pænæ censentur incurse quoad omnes suos effectus, ac si à principio pactio fuerit incurse, quæ vocatur retroractio? Affirmat Lessius *cap. 35. d. 27. num. 151.* ubi sic ait: Si simoniaca pactio utrimque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pænæ, & retroractio hinc ad tempus pactiois, v. g. collator convenit cum Petro 100. aureis de dando illi beneficio, & statim illud contulit; sed Petrus nondum solvit pecuniam promissam: nondum incurrunt pænæ juris, nec collatio est irrita. Si tamen postea, etiam post menses, vel annos Petrus solverit, jam incurse censentur excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus censetur ab initio

initio nullus, & collatio invalida. Ita ille, qui & Navar. testante de stylo Curia. Sed hoc non obstante in foro conscientia hanc sententiam non habere locum putat idem Lessius numero 155. sic asserens: Adverte, videri quibusdam hanc retrotractionem non habere locum in foro conscientia, quia Canones id non statuerunt, sed solum in foro externo: nemo enim verè, & coram Deo est excommunicatus ante contumaciam; verè autè non est contumax, nisi cum fecerit illud, quod sub pena excommunicationis ei erat prohibitum. Deinde contumacia non retrotrahitur, ergo nec excommunicatio, nec penae illam sequentes. D. nique hanc retrotractio solum fit per quamdam fictionem juris, ut sic magis puniatur is, qui deliquit, & solum per styllum Curiae Romanae in quibusdam causis est introducta, quod est signum pertinere dumtaxat ad forum externum. Vnde in foro conscientia penae simoniae non censentur incurrae nisi à tempore completæ simoniae, nec retrosum trahuntur; quare non tenebitur talis beneficiarius ad restitutionem fructuum interim perceptorum, nec censetur fuisse inhabilis ad alia beneficia. Hæc Lessius, & post illum Caltrus Palaut, ubi supra, numero 7. Dicendum est igitur in foro conscientia nullam penam, neque censuram contrahi, quæ retrotrahitur ad tempus pactionis. Et primò de excommunicatione est evidens, cum excommunicatio non incurrat, nisi ob contumaciam, quæ (hac opinione supposita) non committitur quousque soluas pretium, illo verò soluto retrotrahi non potest, sicut irregularitas ex homicidio tunc consummatur, quando mors consummatur, neque potest retrotrahi ad tempus inflicti vulneris, quia pro toto illo tempore neque fuit excommunicatus, neque irregularis. Ergo per nullam potentiam fieri potest, ut fuit excommunicatus, aut irregularis, ut bene probat Suarez lib. 4. de simonia capite 56. numero 37. & 38. Idem probat de suspensione in ordine, & in capite 57. numero 53. probat, collationem beneficii recepti validam esse, & non teneri dimittere beneficium, nisi pretium solveris, & in num. 56. inclinatur in foro conscientia, te non teneri fructus perceptos illo medio tempore restituere, neque obligatum te esse dimittere beneficia acquisita illo intermedio tempore, quo non solvisti pretium, quia hæc omnia jam suum effectum sortita sunt. Quocirca solum in foro exteriori & post condemnationem sentit fructus illo intermedio tempore perceptos debere restitui. Et idè hanc sententiam puto satis probabilem esse.

RESOL. XXVIII.

An liceat vendere, & redimere pensiones?
Et an hoc sit simonia? Ex part. 4. tract. 4. & Miscell. Ref. 15.

Negat Aragon in 2. 2. quæst. 100. art. 4. Henriquez libro 13. capite 15. num. 2. Navar. rus, Beia, Rebuffus, Salzedo, Lopez, Rodriquez, Corduba, & alij, quos citat Sanchez ubi infra, pro hac sententia plures adducens rationes: hæc sententia est probabilis.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse puto. Dico igitur quòd omnes pensiones possunt pecunia redimi, dempta ea, quæ datur in titulum beneficii ob aliquod ministerium spirituale futurum, coadjutori Episcopi, vel Parochi senis. Ita Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 2. cap. 3. dub. 46. n. 19. Ex his,

3. Inferitur primò pensionem, quæ solet assignari seni renuncianti beneficium ob labores præteritos exhibitos posse redimi, quia non datur ad exercendum

Tom. V.

aliquod ministerium spirituale, sed tanquam amentum illius Clerici, & sic temporalis.

4. Inferitur secundo pensionem quæ datur Clerico pauperi etiam posse redimi, quia est merè temporalis, non enim datur pro ministerio spirituali, sed tantum in alimèntum, unde Clericatus & Ordo facer tantum se habent concomitanter.

5. Inferitur tertio pensionem quæ conceditur in renunciatione & commutatione beneficiorum, cum scilicet quis commutat beneficium pinguius, reservata pensione, aliqui tenent esse simoniam, eam redimere? sed satis est probabile posse redimi, quia hæ pensiones sunt merè temporales, nam jam sunt extractæ à titulo & officio spirituali. Idem dicendum est de pensionibus quæ conceduntur ad componendam litem dubiam super beneficio de illis quæ dantur personis omnino secularibus, ut Principibus, militibus, &c. vel filio Comitum, etiam Clerico, ob obsequia quæ pater Ecclesiæ præstitit, nam possunt omnes absque simonia redimi: & hæc omnia docet Sanchez ubi supra, quæ breviter notare volui, cum in dies occurrant.

RESOL. XXIX.

An possit resignari beneficium cum pacto de pensione redimenda?

Et an dicendum sit esse simoniacum tale pactum, & contractum?

Et an pensio sic constituta possit non solui, & beneficium tanquam vacans propter simoniam impetrari?

Et notatur simoniam committere, resignantem beneficium, & petentem à resignatario solutionem expensarum, quas in ejus acquisitione fecit. Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 1.

Respondeo negativè. Et ita docet Tole- tus libro 5. capite 92. Lessius libro 2. capite 35. dub. 22. numero 124. Garcias de beneficiis, tomo 2. part. 11. capite 3. numero 172. Giggæ de Pensione, quæstione 87. ad finem. Ioannes Vvigers de jur. & justit. tractatu 7. capite 4. dub. 15. numero 92. ubi testatur de communi. Et idè non deferam hic apponere verba Castri Palai tom. 3. disputatione 3. de simonia, punct. 17. numero 14. ubi sic asserit: Infero, responsionem illius quæstionis, an sine manifestatione Superioris (qualis est solus Pontifex) possit resignans cum reservatione pensionis obligare resignatarium ad aliqua onera admittenda verbi gratia, ut fidei iussorem secularem, vel aliquam hypothecam assignet, vel illi anticipare soluat, timet enim Resignatarium futurum tardum in solvendo? Et dicendum est esse simoniacum contractum; quia obligat Resignatarium ad id quod de jure non inest, eique ex vi resignationis onus pretio æstimabile imponit; ita Lessius, lib. 2. cap. 35. dub. 15. numero 93. Suarez, lib. 4. cap. 35. numero 23. in fine. Quæ resolutio ita vera est, ut etiam si ordinarius commissionem haberet imponendi pensionem adhuc hujusmodi contractum approbare non posset: ita Suarez supra. Vnde pensio sic constituta posset non solui, & beneficium tanquam vacans propter simoniam impetrari, ut bene dicit Lessius illo numero 93. Verum si post constitutam pensionem obligaretur Resignatarius ad hæc onera, dicendum est simoniam non committi, neque in foro exteriori debere præsumi, sed potius præsumi debet liberè se obligasse. Ita tradit Flaminius cum omni sententia, lib. 14. quæst. 7. à num. 53. Hæc Palaut;

Et 2

quæ